DE ZEA. CAP. CVIII.

C

NOMINA.

Semen cur dicta Zea.

Ζείδωρος ἄρουρα.

ZEIA Græcis, Zea & Semen Latinis, uulgo & Italis Spelta dicitur. Semen autem Latini à præstantia frugis appellarunt. Hinc est quod Homerus etiã hanc celebrauerit dicens, *Ζείδωρος ἄρουρα*. Quib. sanè uerbis innuit aruum Zeam largiens, non ut nonnulli arbitrantur quod uitam donet, Plinio autore.

GENVS.

Duo Zeæ Dioscorides facit genera. Vnum cuius grana in singulis tunicis seu glumis gemina, quod Græcis eã ob causam *Δίκοκκος* cognominatur. Germanis hoc genus Spelt̃/oder Dinckelkorn uocatur. Alterum simplicis est grani, & germanice nominatur Einkorn/oder S. Peters korn.

Δίκοκκος.

FORMA.

Primum genus. Primum genus culmo, geniculis & spica tritico simile est, duobúsque utriculis iunctis duo grana simul fert. *Alterum.* Alterum culmo & spica est breuioribus, grana singula in singulis tunicis duplici ordine seu uersu dispositis proferens, ac in summitate aristis suis planè hordeum refert.

LOCVS.

Lætum pingue q̃ solum desiderat.

TEMPVS.

Iunio mense floret, Iulio autem maturitatem consequitur.

TEMPERAMENTVM.

Zea media quodammodo est inter triticum & hordeũ, quatenus ad calefaciendi & refrigerandi facultatem attinet, placide uero exiccat.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

D Zea magis nutrit quàm hordeum. Ori suauis est. Digesta in panificia minus quàm triticum alit.

EX GALENO.

Zea uniuersa sua facultate quodammodo in medio est tritici & hordei: itaq; ex illis cognoscatur.

EX PLINIO.

Zeæ farina efficacior hordeacea uidetur, trimestris mollior. Ex uino rubro ad scorpionum ictus tepida, & sanguinem excreantibus. Item arteriæ. Tussi cum caprino seuo aut butyro. Ex Fœnogræco mollissima omnium. Vlcera manantia sanat, & furfures corporis, stomachi dolores, pedes & mammas cum uino & nitro cocta.

EX SYMEONE SETHI.

Zea facultatem habet proximam tritico. Est uero facilis concoctionis, boni q̃ suci: ad hæc etiam emplastica existit.

DE ERI-



ZEAE PRIMVM GENVS.